

fuit, concessimus. Cui volumus ut tota mente obediat, eumque ut vestrum Patrem ametis, quia nunc Dei gratia subditos illuxerat, cum suis praepositis curam obedientiae exhibere delectantur. Amen.

Farlati Illyricum Sacrum. T. III. p. 106.

VII.

Anno 1069. Nonae.

Cresimirus, Croatiae et Dalmatiae Rex haereditarius, Regni Congregationem in urbe sua Nona celebrat, et mare adriaticum dalmaticum nominatum fuisse testatur.

† Quoniam diuinitatis eximia celsitudo summos ac minimos non modo pro meritis, uerum etiam dispensatione profunda terrenos largitur honores. A modo inuestigabili eleuat sublimandos, et sublimium superborum colla pessundat, ut ineffabilis iudicis ineffabile quoque iudicium perseueret, et omnipotentis discretio ex inexhausto procedens fonte terrena dispenset imperia. Ideo ego cresimirus diuina gratia largiente chroatie atque dalmatie iura gubernans, atque aui mei beate memorie cresimiri regis, patrisque mei regis stephani, in elisio campo feliciter quiescentis habenas regni retinens. Anno dominice incarnationis Jhesu christi domini nostri M. lx^o VIII^o Indictione VII. Epacta uero V. concurrente III. In nostro nonensi cenaculo residens, una cum nostris iupanis, comitibus atque banis, capellanis etiam nostre regalis aule, cogitare cepimus qualiter omnipotens deus hereditarii regni nostri concessa gubernacula conseruaret, et animabus meorum predecessorum requiem eternam donaret. Inueni nichil in operibus mei memorie dignius nichilque deo acceptabilius, quam ex nostra terrestri aula supernorum ciuium atque sanctorum sacrata habitacula possessionibus, muneribusque ditare condignis. Igitur, quia deus omnipotens terra marique nostrum prolongauit regnum, decreuimus et perprompto animo stabiliuimus monasterium sanctissimi G. martiris, cuius uenerabile corpus infra ejusdem ciuitatis menia requiescit, prediis atque possessionibus honorare, simul quia in gestis antecessorum nostrorum regnum (regum) silicet excellentissimorum, in campis et territoriis plurimis predictum monasterium inuenimus priuilegiatum. Nos ergo a predecessoribus nostris in nullo deuiantes, pro remedio anime mee, meorumque omnium defunctorum offerimus hoc et stabili tenore donamus Tibi beatissimo G. (Grisogono) martiri glorioso et per te domino petro tue sancte aule digno abbati, nostram propriam insulam, in nostro dalmatico mari sitam, que uocatur mauni, cui ex orientali parte adiacet insula, que in uulgari sclauonico „ueru“ nuncupatur, ut eam habeat et possideat in eternum, absque cuiusque mortalium inquietudine, predictum sanctissimi martiris monasterium; nam sic bona nostra decreuit uoluntas, annuentibus